



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Quotuplex sit Simonia, sive quomodo diviatur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

pro nihilo reputari, & non detur in eo peccato parvas materia.

§. II.

Quotuplex sit Simonia, siue quomodo dividatur?

Simonia alia est juris divini, & naturalis, prohibita, quia mala est, & utriusque juri, tam divino, quam naturali repugnat, uti est venditio v. g. rerum propriè sacrarum, venditio hostiæ consecratæ, venditio Sacramentorum, &c. alia est juris positivi Ecclesiastici, mala, quia prohibita est, quæ secundum se, nec divino, nec naturali juri repugnat, prohibetur tamen ab Ecclesia, ob multas inconvenientias, & incommoda, qualis Simonia committitur, si beneficia cum beneficiis illicitè permutantur sine Superioris auctoritate, c. *Quæsitum. s. & c.* Cùm olim 7. de rerum permut. Si vendantur res per se quidem temporales juxta materiam suam, hinc & nunc tamen spiritualizatæ, uti est sacrum oleum, Chrisma, &c. c. *Non satis g. h. s.* Si vendantur officia quædam, ad rerum spiritualium (vel temporalium Ecclesiæ, ut putant aliqui) administrationem ordinata, officium v. g. Advocati, Syndici, Oeconomi, Custodis, Sacristæ, &c. hanc autem juris Ecclesiastici Simoniam non esse propriè dictam Simoniam putant aliqui, fatentur tamen hi ipsi speciem quandam sacrilegij ex genere suo mortalis, propter Ecclesiasticæ legis prohibitionem, ob reverentiam, his etiam rebus spiritualibus, conservandam, hanc quasi Simoniam esse.

Dividitur etiam Simonia in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis Simonia hoc loco dicitur, non nudum tantum internum propositum committendi Simoniam, sed ea etiam, quæ opus externum adjunctum habet, quod tamen nullo signo externo apparet simoniacum, ut si quis rem spiritualem, velut ex justitia debitam, alteri conferat, ob obsequium aliquod temporale sibi exhibitum, ita tamen, ut pravam hanc intentionem, compenlandi ex justitia obsequium temporale per rem spiritualem datam, exterius non manifestet, nullo pacto, aut conventione exterius interveniente. Conventionalis Simonia est, quæ verbis, vel signis exterius manifestatur, per mutuum scilicet pactum, expressum, vel tacitum, ita tamen, ut nec datum aliquid sit, nec acceptum, sed sola facta promissio. Realis denique dicitur illa, quæ ex parte utraque est executioni mandata, per universalem traditionem rei sacræ, & acceptationem pro ea temporalis pretij.

SECTIO II.

*De materia Simonia, siue rebus, in quibus committi potest hoc crimen contra jus divinum, vel humanum Ecclesiasticum.*

§. I.

*De Simonia, qua committitur circa res merè, ac mirinsecè spirituales, & imprimis circa gratiam, Sacramenta, & sacramentalia.*

EX dictis jam patet, quod Simoniam juris divini committat ille, qui vendit